



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Leo, Summus Pontifex 11. Aprilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. LEO, Summus Pontifex

11. Aprilis.

*Tu, quia pius es, miserere nostri,  
aut in tuo flagello vindica iniqui-  
tates nostras. Judith. 7. v. 20.*

SI vis ex ungue Leonem, scripta magni  
LEONIS lege, à S. PETRO approbata.  
hic natione Tuscus, omni literaturâ  
præstans, eloquentiâ Christianus Demoste-  
nes, imò cœlestis Orator passim habitus,  
ex Archidiacono Romano, omnium suffra-  
gatione absens in Papam electus, primus LE-  
ONIS nomen assumit, & meruit; fortissimus  
enim Pontificum ad nullius pavebat occur-  
sum. Attilam, post vastatum propè orbem  
Romæ minantem, potente suâ eloquentiâ,  
& S. Petri minitantis aspectu, absterruit, at-  
que ut retrocederet, persuasit. Gensericum  
Wandalum, urbe jam captâ, excidium pa-  
rantem, animosè appellans, ut sacris & tec-  
tis parceret, exoravit: Bmæ Virginis hono-  
rem contra Nestorii blasphemias acerrimè  
defendit: Manichæos & Pelagianos Romæ  
convicit, pestilentesque hæretum libros  
publico foro exussit, Latronum Ephesi Eu-  
tichianorum



Nichianorum concilium, Romana in syno-  
do, cum Dioscoro hæresiarcha condemna-  
vit, invictus & Magnus semper. Ante mor-  
tem Apostolorum Principem pro erratis su-  
is deprecatores cum invocasset; significa-  
vit sanctus omnia ei peccata remissa præter  
manuum impositionem, cuius scilicet pæna ei  
tubenda, si indignos consecrasset. Obiit  
senex, ingenti urbis luctu & orbis totius  
damno: quia in amissione tam Magni parvæ  
esse jactura non potuit. *Ex Lippeloo.*

## MEDITATIO

*De flagellis à Deo immisissis.*

1. **A**D corrigenda hominum scelera, & maxime  
Christianorum, si invaluerint, Deus laniones  
immittit non medicos. Talis fuit Attila: Flagellum  
Dei dictus à se ipso, ferro & igne, ultor & emendator  
orbis Christiani, bonum scientis & non facientis,  
ideoque magis digni verberibus. Præcipue si domus  
Dei sit spelunca latronum, iratus Dominus factus ejus-  
modi flagello ejicit vendentes & ementes, & malorum  
morum subvertit abominationem. Pro ratione sta-  
tus tui stude cultui divino & promove, ut Deus  
avertat tam dura flagella.

2. Unus homo LEO Pontifex Maximus, por-  
tentum Sanctitatis, & unus homo Lupus Trecentis,  
miraculum mansuetudinis, eodem sæculo, continu-



ere Attilam monstrum malitiae, & cum eo septin-  
genta hominum millia absterruerunt. Tanti refert  
virtutum actum explicare contra Ecclesiae inimicos  
& mundi ac tenebrarum potestates; disce, quomo-  
do flagellis à Deo immisis occurrendum sit, primò  
excipe promptè. Psal. 31. Ego in flagella paratus sum.  
2do. Humiliter & reverenter: sicut oculi ancilla in  
manibus Dominae suae. [verberantis] ita oculi nostri ad  
Dominum Deum donec misereatur 122. psal. 3tio. Obe-  
dienter Non mea sed tua voluntas fiat.

3. Attila infestus Hunnus, flagellum Dei & la-  
tto mundi, nunc Titio infernalis est. Vereatur im-  
pius Dei, ad correctionem aut probationem, quos  
amat & punit, flagellantis injustum flagellum esse,  
cujus merces erit, quia voluntarium & impium  
instrumentum fuit, ignis aeternus. Tu homo  
Dei, si videris flagellum ejusmodi elevatum supra  
dorsum tuum, dicito hic feri, dummodo parcas  
in aeternum.

## S. ALFERICVS Abbas.

12. Aprilis.

*Qui se existimat stare, videat ne ca-  
dat: tentatio vos non apprehendat;  
fidelis Deus est, qui non patietur  
vos tentari supra id quod potestis.*

1. Corinth. 10. v. 12.

R

Patria